

Hanc patrum speciem, hæc prisca decora alta senatus
 Urbs jam nec memorat martia, nec meminit.
 Te solo gaudet, sibi te, præclare Senator,
 Concessum ingenti lætitia celebrat,
 Et claras jactat certatim ad sidera voces;
 Aura tuo late nomine pulsa sonat.
 Vidi ego (nil vates non cernunt) vidi ego Romam
 Hasta, & cristato vertice conspicuam
 Rupe in Tarpeja, ridenti expromere vultu,
 Testari & plausis lætitiâ manibus,
 Teque alti cupide Capitoli ad tecta morantem
 Late diffuso sæpe vocare sinu.
 Cui flavus pulchro de flumine responsabat,
 Mite caput ferto vinctus arundineo,
 Tybris; eum circa Nymphæ choreas ducebant,
 Pulchraque Nesæ, pulchraque Calliroe,
 Xanthoque, Drymoque, & Leucis candida, & omnes
 Udis excitæ Naiades thalamis.
 Quas inter medius de te narrabat, Abundi,
 Plurima, & egregias corporis, atque animi,
 Egregias, Divum & concessas munere paucis,
 Tollebat dotes laudibus astra super.
 Ut tibi cunctæ omni complerint pectus honesto,
 Et sua quæque tuo largiter intulerit
 Dona sinu Virtus, & sedem tempus in omne
 Fixerit ut sibi sub pectore quæque tuo.
 Illa sagax vitæ dux omnis, quæ videt acri
 Multa oculo, finesque, implicitasque vias,
 Et varios rerum flexus, tempusque, locumque,
 Queis male neglectis nil pote confieri.
 Quæ tenet æquato geminas examine lances,
 Quæ mentem casus firmat ad horridos,
 Fortunæque ictus adamantina ridet iniquæ:
 Quæ motus animi temperat indomitos